



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

Tolosanum. 1056.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

Vgbertus sanctæ Nemaufensis Aeccle-
fiæ Episcopus.

Gunterius Episcopus.

Gimera Carcaffensis Ecclesiæ Epif-
copus.

Audgerius sanctæ Lutovensis Ecclesiæ
Episcopus S.

Benedictus sanctę Forojulensis Eccle-
fię Episcopus S.

Item Reginardus sanctæ Caveliensis
Ecclesiæ humilis Episcopus.

*Q*VERIMONIA BERENGARII
Vicecomitis Narbonensis adversus Guifre-
dum Archiepiscopum Narbonensem, propo-
sita in Concilio apud Tolosam habito sub
Raimbaldo Arelatensi & Pontio Aquensi Ar-
chiepiscopis, Victoris secundi Papæ Legatis,
anno Christi MLVI.

SANCTÆ huic conglomerationi Vica-
riorum Dei, Legatis scilicet Summi
Pontificis Romani vicem obtinentis beati
Petri Apostolorum Principi, ejusque vi-
ce fungentibus, Archiepiscopis videlicet
& Episcopis, necnon & Abbatibus hanc
in Synodum sanctam sistentibus, ex catho-
lica fide tractantibus, hæc querimonia non
modica ideo presentat, ut & legatur, &
audiatur, dijudicetur, atque definiatur.

Sed ut pleniùs dijudicetur, ad originem incoëtur. Ego Beringarius Narbonæ urbis Proconsul querimoniam hanc vobis omnibus facio palam, quam de Metropolitana meum fratrem vestrum habeo magnam. Archiepiscopatus quippe Narbonæ fuit cujusdam avunculi mei Ermengaudi Archiepiscopi, cujus in diebus idem episcopatus unus erat ex melioribus qui sunt de Roma usque Yspaniæ finibus, villis atque castellis ditatus, prædiis & alodiis locupletatus: cujus Ecclesia plena erat codicibus, aureis adhornata tabulis & scriniis & crucibus, aureis fulgebat coronis preciosisque lapidibus. Canonicorum ibidem multorum voces certis horis audiebantur, orationes dabantur, & omnium bonorum operum incrementis ibidem agebantur. Castra autem ipsius Aecclesiæ, & villas, prædia, & possessiones, non à laicis fruebantur, sed à famulantibus in ea Deo possidebantur. Aecclesiam verò illam olim pius Rex Karolus fabricaverat, atque in honore sanctorum Iusti & Pastoris consecrare fecerat, & eam inclitè castellis, & villis, terrisque locarat, & vineis; sicut & à veteranorum traditur dictis, & ut legitur in regalibus ejusdem Ecclesiæ Præceptis. Defuncto autem præfato divæ memoriæ Archiepiscopo, Guifredus Cerdaniensium Comes

Narbona adiens, cujus consanguinea ego jam possidebam uxorem, exquisivit utroque parentes meos & me ipsum de præfato archiepiscopatu ad opus filij sui superscripti nostri antisti, qui non erat adhuc nisi decem annorum, & spondit pro eo magnum dare donum inter Comitem Rutenis & patrem meum centum milia solidorum. Sed pater meus & mater mea non ei adquebant. Ego autem amore tantæ consanguinitatis ductus, & simulationis amicitate deceptus, segregavi me pro hac re à consortio genitorum meorum; & nisi mihi adquevissent, arbitratus fui interficere illos. Cernens enim pater meus me motum, meque contra se ita fore molestum, adquevit meæ voluntati, & petitionibus præmemorati Gaufredi, atque inter se & Comitem Rutenis acceptis centum milia solidis pretium pro episcopatu, dedimus eum prænotato filio suo antistiti nostro; qui jurjurando, Deumque testando, dixit nobis suum dictum firmum & fidem firmam, quia si ille foret antistes noster, ut fuit & est, ullum nostrum neque de nostris non esse damnum, neque damnum ipsius episcopatu. Sedente autem illo in cathedra, & ætate atque honore crescente, dum filius eram ut ipse esset mihi auriga & arma & clipeus contra cunctorum hostium telis, &

memoraret consanguinitatem meæ uxoris, & tantilocum honoris, in quo adjutus sum ponere illum, & ut mihi erat testatus, juvaret mihi honorem tenere atque habere; tunc surgens, quasi diabolus, superbè atque repentè, exacerbavit me, & provocavit ad iracundiam, & hœdificavit super me castra, venitque cum ingenti exercitu super me, & fecit mihi guerram crudelem, & fuere interempti pro ea ex utraque parte ferè milia homines. Tunc verò castra, & villas, prædia, & possessiones, quæ erant in domnium præfatæ Aecclesiæ, fiscos & possessiones Canoniorum, & quæque ex comunia erant, abstulit Deo & famulantibus ei, deditque diabolo ac militantibus illi. Et ita alia omnia ad laicalem vertit censuram, ut etiam omnes qui ea possident, quasi per alodia habent paterna. Inter hæc autem Eriballum Vrgellitensem Præsulem contigit mori. Et præfatus Archiepiscopus adquisivit illud episcopatum ad opus fratris sui Guilielmi, & sponndit dare pro eo centum milia solidos. Quod mihi satis libuerat, si meum damnum non esset. Firmato autem tanto munere pro ipso episcopatu, Archiepiscopus præmemoratus, hostis Dei & hominis, ad sedem suam rediens, atque Aecclesiam suam adiens, thesauros quosque, qui à conditione in eam

congregati erant, subtraxit. Tabulas verò & postabulas & cruces & scrinia reliquiarum aurea & argentea excoriavit. Patenas insuper calicum aureas vel argenteas, ubi sancta sacrificia sumebantur, in manibus aurificum Judæorum misit ad destruendum, & Yspaniam venundari pro ipso episcopatu. Codices autem, qui ibi erant variis generibus, non meliores reliquit. Sed ita malè suam Aecclesiam dissipavit, ut etiam & Clerici defunt, & qui inibi sunt, inopes & mendici: & nullus pulcher in ea apparet. Non clamides neque capas polemitas, non ciclades, non dalmaticas, non cureballi, non lignum dominicum. Omnia hæc, quæ à conditione ibi plura congregata erant, sed dissipavit ea, deditque pro episcopatu fratris sui. Insuper, quod pejus est & inhonestum, comendavit se manibus ad Comitissam Vrgelli. Pro qua re non solum mihi, sed etiam cunctis nostræ patriæ nobiles in magnum ruit odium. Quo peracto, aggregavit Concilium non modicum juxta præfata urbe Narbona multorum sui diocesis Episcoporum, inter quos fuit hic Raimbaldus Arelatensis Archiepiscopus; & in eorum atque nostrorum omnium præsentiam reliquit cunctas armas militares, & omnem sæculi militiam, atque excommunicando misit sub anathema tam semetipsum quam

omnes sui diocesi Episcopos, qui ab illa die deinceps armis erant sumpturi. Qui non multò post acceptis armis ut miles, non corrigia succinctis lumbis, sed ferro, & debellavit mecum. Et quot mortui, quot vulnerati, quot detruncati, quantæque adusta Ecclesiæ, & exarsæ reliquiæ, si per singula enarrare voluero, fortasse & vobis foret fastidium, & faciliùs dies quàm copia deserit. Deinde venerunt Episcopi in meam terram, & mecum unà cum eodem Archiepiscopo firmaverunt treguam Dei inviolabilem tenere in omnem meam terram, atque ex eadem corruptores teterrimam justitiam facere. Vnde idem Archiepiscopus & ego hanc fecimus convenientiam, ut de cuncta quæ emendata fuissent per ipsius treguæ fractionem, una medietas fuisset præfatae Aecclesiæ, alia mea pro exercenda justitia. Ego autem consensi ipsam meam medietatem condirectioni ipsius Aecclesiæ. Sed ille non in ejus condirectionem, sed in destructionem misit: quia & ab Aecclesia eam abstulit, & militibus per solidatas tribuit potiùs quàm decem milia solidos. Qua data Deo & fortiter firmata, qui primi eam fregerunt in nostra patria, sui milites ex suo exientes castello, occiderunt unum militem meum in treguam Dei, & retinuit homicidas illos, & nullam qui-

vi ab eo impetrare iustitiam. Deinde Petrus Raimundi Biterrensiū Comes in treguam Dei violavit Aecclesiam sanctæ Mariæ cœnobium loci Electi, ubi mirificum habetur lignum dominicum, & extraxit abinde duos milites inclinatos atque innocios, & unum ex eis, qui erat consanguineus meus, pependit in ligno, & occisit morte crudeli quasi cleptem. Vnde idem Archiepiscopus talis suffragator extitit, ut etiam sacrilegos & homicidas illos in sua mittentes potestate patrocinauit, suffragatorque eorum extitit; & in eo ullam non valui invenire iustitiam. Præterea sacramenta quæ mihi super sancta altaria manibus juratus est multa, unquam non mihi tenuit, sed omnia fregit. Ad ultimum verò bonum opus operatus est, satis Deo & universæ plebi Narbonensis placibile. Vnde mala hæc omnia oblivisceramus, si nobis in bonum venisset. Corpora namque sanctorum Iusti & Pastoris, qua præmemoratus Rex Karolus ab Yspania deferens, atque in via carens, in præfata in eorum honore ædificata Aecclesia collocare obtaverat, quæ nobis nostrisque patribus multum erant obtata, ab idem Archiepiscopo explorata & capta, ad suam usque cum honore asportavit Aecclesiam, atque honorificè collocavit. Vnde non solùm à me, sed

etiam à suis civibus laudatus atque dilectus erat. Qui non multò pòst, litigante eo cum suo Archidiachono, voluit trahere prædictorum corpora sanctorum ab Aecclesia eorum. Et ego rogavi eum ne hoc fecisset, & volui ei dare obsides per decem milia solidos, ut si ullus homo vel femina ullam vim ei faceret de ipsorum corpora sanctorum, aut de ullo munere eis oblato vel præsentato, ego de illo vel illis hoc facientibus adjutor essem prædicto Pontifici per fidem non finctam. Idem verò Archilevita voluit ei satisfacere in judicio Episcopi Arelato. Qui rennuit; sed subtracta ab eadem sede tantorum corpora sanctorum duxit & inhonestè collocavit in quandam villanam Aecclesiam. Ibi suam cathedram fabricavit, ibi ordinem suum fecit, ibi suas Synodos tenuit, ibi codices & cruces & lignum dominicum asportavit, ibi Clericos primæ sedis, quos meliores invenit, constituit; & ita eligens membrum, caput reliquid quasi tugurium. Insuper cuncti nostræ patriæ nobiles & plebs cuncta, qui soliti sunt occurrere ad civitatem & ad sedem suam, & pœnitentes sua munera ad suam sedem dare atque presentare solentibus, multosque adjutorios ad operam suæ Aecclesiæ facientibus, abstulit, & munera illa suis militibus per solidatas tribuit, & suam Aeccle-

siam desertam & sine capite dereliquit. Interim verò idem Archiepiscopus habuit mecum placitum, & constrinxi me ei ad suum libitum satisfacere, & dixit mihi suum dictum & fidem, quam meliorem ei requirere potui, ut & ad sedem suam rediret, & corpora sancta in ea restitueret. Qui mentitus est mihi, sed, ut mihi fuit testatus, facere noluit, & est mihi mentitus suum dictum & suam fidem. Deinde conjux mea videns eum, rogavit restituere corpora sancta, & idem ipse ad Aecclesiam suam redire, directumque nostrum supra modum accipere: neque audire voluit, sed testatus est ei altitonantem ducere ipsa sancta corpora in aliena patria, & usque in æternum nobis non esse recuperanda. Quæ audiens, metuens ne subitò, sicut juratus est, hoc faceret me absente & ignorante, fuit ad præfatam villæ Aecclesiam, non adhuc consecratam, & traxit exinde corpora sancta, restituitque & condidit honorificè in sedem suam. Deinde conjux mea prostrata coram eo, suum postulavit accipere directum, qui rennuit. Ego autem confestim ut hoc novi, vidi præfatum Archiepiscopum, voluique ei affirmare directum & de me & de conjuge mea & de omnes meos in iudicio sui diocesi Episcoporum & Episcoporum Arelato per decem milia solidos, qui rennuit

nuit. Deinde in iudicio Legatis Apostolici & hujus sancta Synodi. & hunc spreuit. Ad ultimum verò exclamavi sanctum Petrum & iudicium Domni Apostolici, ut irem coram eo, & in ejus manu ei affirmarem directum. Hunc multò parvi pendit; sed excommunicavit inclementer atque injustè me & meam uxorem meosque infantes & omnem nostram terram, tam crudeliter, ita ut nullus ibi baptizetur, nec comunicetur, nec sepeliatur. Nos autem, nisi timor Dei esset, parvi penderamus suam excommunicationem, quem tot malis novimus sceleratum, & à Papa Victore cum c x x. Episcopis anathemizatum, & simoniacum, qui omnes ordines suos vendidit, qui omnes Episcopos, taceam de alienos, sed omnes quos in mea terra ordinavit, usque ad novissimum quadrantem redimere fecit. Quòd si non creditis; Lutensem requirite Episcopum, & Helenensem; & hi hoc vobis testificentur, qui ab eo sunt ordinati Neque Ecclesias meæ terre consecrare voluit, donec datum earum tenuit. Nuper autem duos meos milites venientes ex vigiliam sanctæ Salvatoris Anianæ, die Epiphaniæ, eo jubente atque suffragante sunt capti & tenti; & eos qui illos ceperunt patrocinaat, & dat eis solidatas. Ideo ego Beringarius præfatus hanc

vobis & Domino Deo facio querimoniam,
& postulo justitiam: quam nisi impetrave-
ro, suæ excommunicationi parvi pendero,
& in meam terram treguam nullam tene-
bo, neque iudicium Apostolici ampliùs
adclamabo.

Quod ego Beringarius ita superiùs que-
ror ad Legatos Summi Pontificis superiùs,
& ad cunctos Episcopos & Abbates, quo-
niam ad synodum Arelati conabam osten-
dere. Sed quoniam nihil profuit, ad Dom-
num Apostolicum ideo libens mittere cura-
vi. Quem rogo per Deum & sanctum Pe-
trum ut ab hac excommunicatione me ab-
solvat, meoque Præsuli de me satisfaciat:
quoniam usque Romam ego lubentiùs sa-
tisfacere ire non ambigo; ille, nisi ligatus,
unquam sponte non ibit.

C O N C I L I V M N A R B O N E N S E
Habitu anno MXC.

IN nomine Domini. In Concilio apud
Narbonam ad honorem Dei celebrato
veniens Domnus Rotbertus Abbas, cum
majori parte Conventus sibi commissi, an-
te præsentiam Domini Dalmacij Dei gra-
tia Narbonensis Archiepiscopi, atque
eiusdem Ecclesiæ suffraganeorum, Tholo